


10  
100



136.

BREVIS EXPOSITIO  
JURIUM SERENISSIMO  
ET  
POTENTISSIMO M. BRITAN-  
NIÆ REGI,  
QUA  
ELECTORI BRUNSUICENSI  
AC  
LUNEBURGENSI,  
IN  
*FRISIAM ORIENTALEM*  
*COMPETENTIUM.*

---

MDCCXLIV.

BREVIS EXPOSITIO  
IURUM SERENISSIMO  
ET  
POTENTISSIMO M. BRITAN-  
NIAE REGI,  
CUI  
ELECTORI BRUNSVIGENSI  
LUNEBURGENSEI  
IN  
FRISIAM ORIENTALEM  
COMPETITIVUM

---

MDCCLIV.





§. I.

**E**st anno 1691. inter Serenissimum Ernestum Augustum Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem glor. mem. atque Christianum Eberhardum Frisiae Orientalis Principem pié defunctum initum confraternitatis pactum, eoque cautum, ut, extinctis posteris masculis Principum Frisiae Orientalis, horum terrae devolvantur ad Duces Brunsvicenses ac Luneburgenses, ubi autem prius deficient posteri masculi istorum Ducum, in Comitatus Hoya & Diepholtz succedant Principes Frisiae Orientalis.

Prior casus contigit, postquam d. 26. Maj. 1744. Carolus Edzardus Frisiae Orientalis Princeps ad superos excessit. In regiones igitur, quae illi subsuerunt, nulli nisi Serenissimo ac Potentissimo M. Britanniae Regi, qua Electori & Duci Brunsvicensi ac Luneburgensi, successionis jus competit.

Nemo facile negabit, conventiones Principum Germaniae de acquirenda hereditate allodiali initas esse validas. Sed in dubitationem vocatur, sine Caesaris consensu successorem feudalem per pacta sibi designare Principem Frisiae Orientalis, & sic disponere potuisse de feudo Imperii, in quod Serenissimus ac Potentissimus Borussiae Rex expectativam impetravit.



Navabitur opera evellendo huic scrupulo, atque juribus Domus Brunsvicensis & Luneburgensis validissimum præsidium comparabitur, ad liquidum perducendo, (I.) Frisiam Orientalem esse feudum hereditarium, tam per contractus inter vivos, quam ultimam voluntatem alienabile citra consensum Domini directi.

Hoc tamen consensu (II.) non destitui pactum fraternitatis anno 1691. conditum.

Contra (III.) in expectativa Borussia illa requisita desiderari, quæ Leges Imperii pro forma negotii exigunt.

§. II.

I. Frisia Orientalis Comitibus & Principibus, quorum jam stirps exaruit, atque eorum *heredibus legitimis, & sic non solis masculis* contra naturam feudi proprii est collata. Equidem haud diffitendum, verba *pro Vasallo & suis heredibus, in feudum hereditarium*, & similia pro substrata materia intelligi debere, & aliquando innuere feudum masculinum atque proprium. Quod si vero circumstantiæ accedunt qualitatem hereditariam arguentes, certum est apud omnes, non esse in tali investitura sermonem de feudo masculino & proprio, sed de feudo hereditario, sicut probe notavit Autor Deductionis Borussiae, quæ in vulgus edita, pro demonstrando valore pacti successorii inter Electorem Brandenburgicum & Ducem Lignizensem anno 1537. initi, cui superstructum est Jus Serenissimi ac Potentissimi Regis Borussiae in quosdam Silesiæ Ducatus, & quod acquisitioni tam amplæ

plæ regionis ansam præbuit. (a) Adfunt hic autem plures ejusmodi circumstantiæ & notæ characteristica feudi hereditarii, quarum unam illi probando sufficere vult dictus Autor.

§. III.

Præsumitur (1.) *feudum oblatum*, esse *improprium*, & minime masculinum, cum nemo suum jactare censeatur, & renunciaciones sint strictæ interpretationis. (b) Jam vero pleræque Dynastiæ, quibus constat Frisia Orientalis, olim allodiali jure pertinuerunt ad primum vassallum Comitum Ulricum & ejus tori sociam Thedam, ac libera voluntate imperium Ulrici agnoverunt reliquarum domini. Hic regionem Friderico III. Cæsari in feudum obtulit, neque igitur præsumendus est, citra necessitatem abdicasse jus de illa eatenus disponendi, quatenus id, salva obligatione feudali, fieri potest. Tam Dominus directus, quam vassallus finem obtinere poterant constituendo feudum hereditarium. Neque igitur credibile est, hunc se arctius obstringi passum, vel Cæsarem detrectasse, Dynastias ejus allodiales in feudum hereditarium accipere. Valere hoc argumentum, ad tuenda pacta successoria sine consensu domini directi inita, agnitum in Deductione Borussica modo citata.

A 3

§. IV.

(a) Vid. *Gesamlete Nachrichten und Documente den gegenwärtigen Zustand des Herzogthums Schlessen betreffend.* P. IX. p. 665. P. X p. 729. 730. & 731.

(b) Böhmer J. E. P. Lib. 3. tit. 20. §. 60.

§. IV.

Eo minus dubii patitur, Frisiam Orientalem esse feudum hereditarium, quando (2.) *consuetudinem regionis* cogitamus. Sunt in Germania inferiori pleraque feuda promiscua & alienabilia. Advocabimus testem in hac lite omni exceptione majorem Serenissimam nempe Electoralem Domum Brandenburgicam, quæ anno 1655. in typis evulgata Synopsi & brevi assertione juris & universalis successionis Serenissimo Principi ac Domino, Dn. Friderico Wilhelmo Marchioni Brandenburgico S. R. I. Archi-Camerario & Electori ejusque Celsissimæ Electorali Familiæ in Ducatus Cliviæ, Juliæ, Montium, nec non Comitatus Marcæ & Ravensbergæ competentis, ita thesin nostram firmavit:

*In Regno Franciæ & Galliæ fuit introductum, quod feuda ad instar patrimoniorum alienari, & in ultima voluntate de illis disponi, inque iis tam foeminae, quam mares succedere poterint, servata tamen sexus & ætatis prærogativa, ita ut masculus in successione præferatur foeminae, majorque natu minori. Et hoc ita passim, cum primis vero in Delphinatu, Sabaudia, Flandria, Lotharingia, Ducatu Limburgensi, & Hannonia, Selandia, Gelandria,*



*dria, Comitatu Nassovico, Burgundia, Provincia specialiter dicta, Brabantia, Luceburgico, Hollandia, FRISIA, Zutphania, Namurco, aliis vicinis provinciis circuli Westphalici, nec non in amplissimis Archiepiscopatus Coloniensis, Trevirensisque ditionibus, item in Comitatu Bentheim, Steinfurt, Wefelinghofen, Pirmont, Oldenburg, Delmenhorst, Jevern, Lingen & aliis, imo etiam in multis Germaniæ superioris provinciis observatum hactenus, & adhuc observari in Deductione Brandenburgica in Consistorio Imperatoris judicialiter exhibita ex probatissimis Historicis & juris interpretibus tam antiquis quam modernis, multisque notabilibus exemplis luculenter demonstratum.*

Quis crederet, citra necessitatem admisisse Comitem Ulricum, ut contra mores regionis facultas sua arctioribus limitibus circumscriberetur, quam vicinorum Comitum, cum verba investituræ id minime arguant, sed potius talia sint adhibita, quibus regulariter Curia Feudales non utuntur, conferendo feuda masculina & propria?

§. V.

§. V.

De paciscentium mente (3.) ex ipsa investitura evidenter constat. Illa enim diserte cautum, Comites Frisiae Orientalis Comitatum suum ira in feudum recognituros & accepturos, *quemadmodum Comites de Bentheim & Steinfurt Comitatum suum recognoscunt & accipiunt.* Hunc vero ad instar patrimoniorum alienari, & ultima voluntate de illo disponi posse, assertum est in Deductione Brandenburgica, ad quam §. III. provocavimus. Haud restringi potest illa limitatio obligationis feudalis ad solam renovationem investiturae. Etenim nullum singulare circa illam Jus competit Comitibus de Bentheim & Steinfurt, sed eodem modo ac alii Comites Imperii renovationem petunt, & investiuntur. Recideret igitur conventio in nihilum, si Comites Frisiae Orientalis non nisi Bentheimiorum singulare Jus renovandi feudum sibi essent stipulati.

Porro non loquuntur litterae feudales de solo actu renovationis investiturae, sed praeterea exigunt, ut recognoscatur Frisia Orientalis in feudum Imperii, sicut recognoscitur Comitatus Bentheimensis. Ast recognitio actu investiturae non absolvitur, sed includit illa omnis obligationis feudalis agnitionem. Qui igitur pollicetur, se recogniturum feudum, sicut illud fit a possessore feudi hereditarii, eam tantum suscipit obligationem, qua feudo hereditario investiti tenentur.

Accedit, illi limitationi obligationis feudalis additam hanc sublimitationem, quod per eam nec juribus Imperii,

rii, nec incolarum Frisiæ Orientalis derogari debeat, quæ plane inconcinna esset, si de solo actu renovationis feudi ibi sermo haberetur. Neque enim jus pinguius per reservationem conservandum quoad renovationem in feudo noviter constituto poterat competere Imperio, nec per illam imminui libertas subditorum. Id vero facile contigisset, si Cæsar omnia Comitum Bentheimensium jura largitus esset Comiti Frisiæ Orientalis

§. VI.

Est (4.) insignis nota characteristica feudi hereditarii, ubi bona allodialia in feudum offerens primus vasallus, *sibi reservavit facultates & libertatem, qua majores sui sunt gavisi.* Id bene observatum in deductione Borusfica pro tuendo pacto successorio Lignizeni publicata. (a) Asseritur ibi, quod Silesiæ Duces sibi stipulati sunt pristina jura & libertates, quæ ipsis, & majoribus suis competierunt, inde necessaria consequentia fluere, etiam jus per pacta successoria de feudo disponendi illos factum tectum servasse. Ast eadem reservatio facta a primo Frisiæ Orientalis Comite Ulrico, qui suscepta obligatione feudali diserte cavit, sibi, suis heredibus, & regioni salvam fore libertatem atque facultatem, quam ipse & majores sui hæctenus Imperio permittente exercuerunt. (b)

B

§. VII.

(a) Nachrichten und Documente den gegenwärtigen Zustand des Herzogthums Schlesien betreffend P. IX. p. 664. 665.

(b) Ost-Preussische Historie und Landes-Verfassung Tom. I. Lib. 2. p. 78.

§. VII.

(5.) Theda Comitum Ulrici Coniux non poterat ignorare, qua mente ab illo Dynastia in feudum sunt oblata. Negotium enim eius consensum desiderabat, quippe qua insignem particulam novi feudi marito in dotem attulerat. *Ipsam vero minime dubitasse filias successione capaces,* & sic Frisiam Orientalem non esse feudum proprium, inde patet, quod in ultima voluntate de casu disposuit, ubi mortuis sine heredibus Filiis suis Filia succederet in regionem, *wann die Söhne sonder Leibes-Erben verstorben, und die Tochter bey den Landen und Leuten bliebe.* (a)

§. VIII.

Movetur in contrarium, Testamentum Edzardi Comitum, atque Diploma Juris primogeniturae Rudolphi II. Caesaris de 1595, ut et Reversales a Comitibus subditis datas, & pacta de hereditate inter illos inita, nullam facere mentionem successione feminae; quin urgeri in scripto a matre tutrice Principis Christiani Eberhardi anno 1688. contra expectativam Brandenburgicam in Comitum Imperii exhibitio, non cessare spem successione masculinae, & in processu contra Waldeck coram Camera Imperiali ventilato allegasse Comites Frisiae Orientalis, regionem illam esse feudum masculinum. Ast jam supra §. IV. dictum, mores Germaniae inferioris in feudis promiscuis & alienabilibus semper praefere masculos feminis. Quamdiu igitur supererat mascula stirps, nullum jus

(a) Ost-Friesische Historie und Landes-Verfassung Tom. I. Lib. 4. p. 411.

Jus succedendi competebat fœminis, & hæc est ratio, cur id silent dispositiones & pacta, quibus successione ordo inter filios & fratres determinatur. Cautum tamen Diplomate primogenituræ a Cæsare Rudolpho II., postgenitos fratres & sorores alimentis ac dote contentas esse debere, quæ dispositio quoad sorores superflua fuisset, si fœminæ nullo successione jure gauderent. Porro ufa mater tutrix argumento ad hominem, urgens superesse adhuc stirpem masculam. Negavit etiam simul, ea deficiente, feudum Imperio apertum fore, a Cæsare conferendum. Quin potius diserte asseruit, ultimo possessori masculino competere jus designandi successorem, quod non nisi in feudo hereditario Vasallis tribui potest.

Si etiam qualitas feudi masculini contra Comitem Waldeccensem propugnata, id tantum eatenus factum, ut excluderentur a successione fœminæ, quamdiu masculi extant. Is enim non raro est significatus vocis *Mannlehni*, quæ pro subiecta materia & secundum consuetudinem intelligenda de feudo, quod deficientibus demum masculis ad fœminas devolvitur. (a) Præterea modus

B 2

pro-

(a) Synopsis & Assertio juris & universalis successione Brandenburgicæ in Ducatus Clivie &c. p. 45. *Gesammelte Nachrichten und Documente den gegenwärtigen Zustand des Herzogthums Schlesien betreffend* p. 677. Thummermuth *Krumstab schleusset niemand aus* p. 30. n. 34. Rosenthal *de feudis* c. 1. concl. 13. n. 4. Schilter *ad J. F. A. c. 67. §. 3.* Hertius *de Jurisprud. cavente Sect. 2. §. 6.* Schweder *de fœminarum in feudis cum masculis concurrentium exclusione* c. 3. §. 5. Estor *in anal. Fuld. p. 21. 22.*

probandi qualitatem feudalem confessionibus ex aliis actis defuntis non admittitur. Nisi enim sint acta inter easdem personas, in eadem actione, eodemque agendi modo, nullam vim habebit talis probatio (a) Si facti Comites Frisiam Orientalem esse feudum proprium, in errore versati sunt, prout patet ex dictis §. III. IV. V. VI. VII. (b) Nec erronea illa recognitione feudum hereditarium naturam feudi proprii induit, cum ad id requiratur, Dominum directum & Vasallum pristinam naturam novisse, & declarasse, se illam velle mutare. (c)

§. IX.

Ita satis demonstravimus, Frisiam Orientalem esse feudum hereditarium, quod ad instar patrimoniorum alienari, & de quo ultima voluntate, atque sic etiam per pactum confraternitatis disponi potuit.

Quod si vero etiam accensendum foret feudis propriis citra Domini directi voluntatem haud obnoxiiis vasallorum dispositionibus, subsisteret tamen conventio Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus Jus succedendi tribuens, quia illi non deest consensus Domini directi dans robur alienationibus feudorum propriorum. Etenim Imperatores Leopoldus, Josephus, & Carolus VI. per Capitulationes *approbarunt pacta confraternitatis,*  
*quæ*

- (a) Ludolf Obs. for. 93. & Symph. Vol. 2. Consult. 1. p. 101. Harpprecht Conf. 95. n. 432. & Resp. 92. n. 167.  
 (b) Hartmann Pistor Obs. 175. n. 21. Berlich P. 2. Dec. 178. n. 3. Harpprecht Conf. 84. n. 213. & vol. nov. Conf. 33. n. 61. sequ.  
 (c) Hertius de Feudis oblati P. 2. §. 33.

*quæ tempore suscepti sui regiminis inter Electores, Principes & Status Imperii jam erant inita.* Ast anno 1711. cum Carolus VI. ratas haberet ejusmodi conventiones ante illud tempus initas, dudum erat confectum pactum confraternitatis inter Ducem Brunsvicensem & Lüneburgensem Ernestum Augustum atque Christianum Eberhardum Frisiæ Orientalis Principem.

§. X.

Obmovebitur forsan (1.) intelligendas esse Capitulationes Cæsareas de pactis successoriis legitime, i. e. voluntate Cæsaris, conditis, quapropter ipse Dux Brunsvicensis & Frisiæ Orientalis Princeps pacto confraternitatis adjecerint clausulam de petendo consensu Imperatoris. Nec (2.) anno 1711. rem amplius fuisse integram, jam impetrata tum temporis ab Electore Brandenburgico expectativa in Frisiam Orientalem.

Verum (1.) nunquam censentur homines frustra inter se pacisci, unde semper illa interpretatio capienda, qua efficitur, ut verba contractuum non sint sine effectu aliquid operandi. Ast nil operantur verba Capitulationum Cæsarearum approbationem pactorum confraternitatis stipulantium, si sunt intelligenda de illis pactis, quæ per consensum Cæsaris jam plenum robur acceperunt. His enim Successor singularis Domini directi tenetur, & sic est superflua illorum confirmatio. (a) Un-

B 3

de

(a) Ziegler de Juribus Majestaticis Lib. I. c. 12 §. 14. Andler Jurisprud. Lib. I. tit. 4. P. 2. n. 19. Schweder de confirmatione jurium & privilegiorum ab Imperatore Statibus Imperii facienda §. 5. 6.

de præstantissimi Jcti præfertim illi, qui jura Domus Brandenburgicæ sunt acriter tuiti, docent, hodie, non obstante prohibitione antiqua, Capitulatione atque ita consensu Imperatoris & Electorum pacta confraternitatis generaliter esse confirmata. (a) Aliter sensisse Ducem Brunsvicensem & Frisiæ Orientalis Principem conditores pacti, de quo quærimus, inde minime probatur, quod animum petendi consensum Cæsaris exseruerunt. Id enim majoris cautelæ ergo optima ratione factum, quia jam tum temporis in dubium vocabatur & qualitas feudi hereditarii Comitatus, & Jus Principum Germaniæ condendi pacta successoria de feudis Imperii citra Cæsaris consensum. Hunc Leopoldus & Josephus Imperatores anno 1691. tantum dederant in pacta ante illorum electionem confecta, non in conficienda. Neque igitur, quæ tum exstabant, Capitulationes defectum specialis Cæsarei consensus in pactum successorium Brunsvico-Ostfrificum supplebant. Id vero factum, per Carolinam anno 1711. conditam

Nec obstat, (2.) antiquius esse jus Brandenburgicum expectativæ anno 1694. datæ innixum. Ea enim, secun-

(a) Linnæus ad Auream Bullam c. 7. §. 3. n. 1. Rhetius Jur. publ. Lib. I. tit. 7. §. 17. Henniges in meditationibus ad Capitulationem Josephi art. 6. voc. Erb-Verbrüderung Bodinus de Pacto Confraternitatis §. 14. 15. 16. Schweder in Theatro prætenfionum Tom. I. p. 437. Tom. II. p. 433. Mauritius ad Capitulationem Josephinam art. 6. voc. Erb-Verbrüderung. Nitschius ad Capitulationem Josephinam art. 6. n. 47. Stein de alienatione immediati Feudi Imperii c. 3, n. 54.



cundum mox deducenda, non nisi Electorum consensu perfecta reddi potuit. Hunc vero anno 1711., cum Carolus VI. Cæsar eligeretur, jam accessisse, ne quidem allegatum hactenus, & expediti juris est, ejusmodi consensum, in præjudicium tertii, cui interim Jus quæsitum, haud posse retrotrahi. (a) Quid? quod mox apparebit, deficere in hunc usque diem, quæ LL. Imperii desiderant, ut expectativæ robur concilietur.

Accedit, largiri Auream Bullam tit. 10. §. 2. 3. Electoribus privilegium acquirendi feuda Imperii, quod igitur per pacta successoria etiam fieri potest. (b) Quapropter Ernestus Augustus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis anno 1692. Electoralem dignitatem adeptus, simul obtinuit consensum Domini directi in conventionem, qua eventualiter feudum Imperii sibi & suis Successoribus comparaverat.

§. XI.

Supereff, ut (III.) monstremus, Regiam Borufficam expectativam destitui requisitis legalibus.

Est in confesso, non nisi Electorum consensu Casarem feuda vacantia conferre, & dare expectativas feudales posse.

Equidem expectativa Boruffica in Frisiam Orientalem approbatione Electorum firmata dicitur.

Ast

- (a) Carpzov. P. I. Const. 19. Def. 6. Ziegler de ratihabitione §. 21. Meier de jure ratihabitionis §. 13. 33. Heineccius Resp. 48. n. 65.  
 (b) Ludewig in der Erläuterung der güldeney Bull. Tit. 10. §. 2. Lit. c. c. Winter de Electorum S. R. I. Prærogativa circa acquirendas terras Imperii c. 3. §. 10.

Ast (1.) exigunt Capitulationes Cæsareæ præscitum Electorum & sic *consensum præcedentem*. Cum hic pro forma desideretur, citra vitium nullitatis prætermitti, & per æquipollens suppleri nequit. (a) Eapropter ipsi Jcti Borussici de valore expectativæ Regis sui in Frisiam Orientalem dubitant, & docet Henniges Ablegatus Brandenburgicus ad Comitia Imperii in meditationibus ad Capitulationem Josephi p. 279. 280. consensum Electorum regulariter præcedere, & re adhuc integra desiderari debere; quam etiam sententiam fovet Gundlingius in dem Discours über die Wahl-Capitulation Carl VI. p. 1272. Non solum autem, fatente Serenissimo ac Potentissimo Rege Borussiae, diu post impetratam expectativam accessit Electorum consensus, sed patet etiam ex dictis §. X. id factum (2.) cum *non amplius res esset integra*, sed perfectum Jus quæsitum Domui Brunsvicensi.

§. XII.

(3.) Non valent aliter actus universitatum vel collegiorum, quam si *collegialiter peraguntur*, nec sufficit, ubi postmodum separatim consensus supervenit. (b) Ab hoc jure communi noluisse recedere Electores, patet ex protocollo Collegii Electoralis anno 1711. habito, quod desiderat consensum Collegialem omnium Electorum. (c)  
Ast

(a) Ziegler de Ratihabitione §. 16. 20.

(b) Klock de Contributionibus c. 6. n. 128. Leyser de Revocatione Electionis §. 11.

(c) Moser in den Anmerkungen über Kaiser Carl VII, Wahl-Capitulation P. II. p. 402.

Ast in Conventu Electorali nunquam hoc negotium in deliberationem venit, tantum abest, ut mediante Concluso Collegii consensus sit impertitus.

## §. XIII.

Non sufficiunt majora suffragia, sed (4.) *singuli Electores consentire debent*. Id nunquam factum. Saltem consensus Electoris Brunsvicensis & Luneburgensis sæpius rogatus impetrari haud potuit. Omni spe illum obtinendi decollante, præsidium causæ quæsitum est in effugio, anno 1694. nonum Electorem nondum admissum in Collegium Electorale, nec igitur ejus suffragio opus fuisse. Si tum temporis concluso collegiali perfectum esset negotium, sat stringens foret argumentum. Sed aliorum etiam Electorum consensus adhuc deficiebat, cum Brunsvicensis & Luneburgensis Elector in Collegium Electorale introduceretur. Hic igitur qui magis ab isto negotio excludi potuerit ac reliqui, quorum consensus post annum 1710. impetratus, haud licet assequi. Præterea si roborandæ expectativæ sufficit consensus extra collegium a singulis datus (quod non potest non Aula Borussica asserere) nec ante introductionem fuit negligendus consensus Electoris Brunsvicensis & Luneburgensis, cui non introductio, sed investitura tribuit Jura Electoralia, quapropter etiam honores hanc dignitatem comitantes Electori Ernesto Augusto anno 1694. ab Electore Brandenburgico sunt exhibiti, & Imperator Josephus ante introductionem Electoris Georgii Ludovici

ci ejus consensum desideravit, cum sententiam banni in Electorem Bavariae ferre vellet.

§. XIV.

(4.) Sub Leopoldo & Josepho Imperatoribus non est perfectum redditum negotium ob deficientem Electorum consensum. Debet igitur robur accipere ab iis, quae regnante Carolo VI. sunt gesta. Hic autem per Capitulationem art. 18. adstrictus est, *etiam Collegii Principum consensum adhibere*, ubi feuda Imperii sunt conferenda. Id nunquam factum, & eo tamen opus esse, recte docet Moser *im Reichs-Hof-Raths-Proceß* P. III. c. 2. § 33.

§. XV.

Denique potest quidem sine consensu Vasalli possessoris dari expectativa in feudum. Ea autem *non impedit, quo minus id Vasallus alienet*, (a) & per pactum successorium voluntate Domini directi de illo disponat, atque sic expectativo spem successionis eripiat. Quod si igitur evinci queat, esse Frisiam Orientalem Feudum proprium, Capitulatio tamen Carolina anno 1711. pacto confraternitatis anno 1691. inito vim tribuit, probando omnes ejusmodi conventiones tunc temporis conditas, & sic annihilavit expectativam Domui Brandenburgicae datam.

(a) Hartmann Pistor Lib. 2. qu. 28. n. 3. Lyncker Dec. 427. Cor-trejus de concessione expectativae S. 4. th. 33. Horn jurispru-d. feud. c. 12. §. 12. Leyser de iniquitate & recto usu expectan-tiarum §. 51.



© ( R ) ©

In der Königl. Bibliothek, am ...

14. Sub ...

...

...





153594

ULB Halle  
003 333 868

3



Ab 153584


WTF

n









536

BREVIS EXPOSITIO  
JURIUM SERENISSIMO  
ET  
POTENTISSIMO M. BRITAN-  
NIÆ REGI,  
QUA  
ELECTORI BRUNSUICENSI  
AC  
LUNEBURGENSEI,  
IN  
FRISIAM ORIENTALEM  
COMPETENTIUM.

---

MDCCLXIV.